

*in omni seculo experientiis abunde patere dicit. Imo ipsas internas operationes, inspirationes & illuminationes sancti Spiritus, argumenti loco citat, quæ dum adsint in cordibus fidelium sine aliquo externo monitore, aut signo verborum quorumcunque, evidentiam sibi ipsis faciant, certissimamque & clarissimam sui ipsarum cognitionem in animis eas possidentium ingenerent. Triplici ergo adversus nos exercitu pugnat. Primum loca Scripturæ memorat, Psal. XXXIV, 8. I. Petr. II, 3. Matth. V, 8. II. Cor. III, 18. Eph. I, 17. 18. Deinde ad experientiam atque Exempla sanctorum provocat, quorum multa millia ex omni seculo præsto sint: atque ad ea procul dubio referri vult ista, quorum pag. 24. & 25. fit mentio, nempe Platonis, Plotini & aliorum apud Philosophos; Apostolorum apud Christianos, & post Apostolos, Athanasii, Gregorii Nazianzeni, Clementis Alexandrini, Origenis apud Græcos: & aliorum multorum, apud Latinos autem Augustini & Hieronymi a multis ante seculis; & apud recentiores Bernhardi, Thauleri, Thomæ a Kempis, Harpbii, Rusbrochij & Authoris Theologie Germanicæ, ad cuius librum Lutherus prefatus sit, eumque multum laudaverit. Hi omnes, ait, & alii passim mystici Authores & Theologie mysticæ Scriptores, cognitionem quandam Dei prædicant, quæ absque verbis quibuscunque habeatur, per internum quendam Dei, rerumque divinarum gustum & contactum sensibilem in animis & cordibus eorum, qui debitum puritatis & sanctitatis statum, ad talem cognitionis gradum requisitum, sunt assequuti. His ergo subiungendum erit, quod superiore loco denique addit, cognitionem illam Dei intuitivam cuique hominum, qui eam possidet, præsentiam sui indicare posse ac solere.*

XXVIII. Quibus ut respondeatur, parum equidem laboris requiritur, modo statum quæstionis recte teneamus. Scilicet (i.) in adductis Scripturæ locis nullus est, qui dicat, vitæ æternæ prægustum in hac vita, consistere in intuitiva Divinæ essentiæ visione. Psalmo XXXIV, 8. jubentur homines gustare & videre, quam suavis sit Dominus: sed quod gustandus sit in hac vita per immediatam & intuitivam essentiæ suæ contemplationem, non dicitur. Certe proprietas literæ hic urgeri non potest: cum Dominus gustandus & videndus, non sit objectum sa-

C 3.

pidum